

compellabat et has tristis Latonia uoces
 ore dabat: 'graditur bellum ad crudele Camilla,
 o uirgo, et nostris nequ quam cingitur armis,
 cara mihi ante alias. neque enim nouus iste Diana
 uenit amor subitaque animum dulcedine mouit.
 pulsus ob inuidiam regno uirisque superbas
 Priuerno antiqua Metabus cum excederet urbe,
 infantem fugiens media inter proelia belli
 sustulit exsilio comitem, matrisque uocauit
 nomine Casmillae mutata parte Camillam.
 ipse sinu p[re]se portans iuga longa petebat
 solorum nemorum: tela undique saeuia premebant
 et circumfuso uolitabant milite Volsci.
 ecce fugae medio summis Amasenus abundans
 spumabat ripis, tantus se nubibus imber
 ruperat. ille innare parans infantis amore
 tardatur caroque oneri timet. omnia secum
 uersanti subito uix haec sententia sedit:
 telum immane manu ualida quod forte gerebat
 bellator, solidum nodis et robore cocto,
 huic natam libro et siluestri subere clausam
 implicat atque habilem mediae circumligat hastae;
 quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
 'alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia uirgo,
 ipse pater famulam uoueo; tua prima per auras
 tela tenens supplex hostem fugit. accipe, testor,
 diua tuam, quae nunc dubiis committitur auris.'
 dixit, et adducto contortum hostile lacerto
 immittit: sonuere undae, rapidum super amnem
 infelix fugit in iaculo stridente Camilla.
 at Metabus magna propius iam urgente caterua
 dat sese fluui, atque hastam cum uirgine uictor
 gramineo, donum Triuiae, de caespite uellit.
 non illum tectis ullae, non moenibus urbes